



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XXIV. Idem probatur ex Patribus Latinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

## CAPVT XXIV.

*Idem probatur ex Patribus Latinis.*

**P**ROFEREMVS nunc testimonia Patrum Latinorum, qui floruerunt doctrina, & sanctitate, & schisma & litem Græcorum; quos nolle recipere nimis magna temeritas est, tum quia nullam causam cur debeant recipi Græci, & non Latini, si sint eadem antiquitatis, eruditionis, & sanctitatis; tum etiam, quod videmus Concilium EPHESINVM allegasse ad probandum dogma Ecclesiasticum, & Latinos & Græcos, nimirum Felicem, Iulium, Cyprianum, Ambrosium, Latinos, Basilium, Nyssenum, Nazianzenum, Athanasium, Græcos, & testatur Vincentius Lirinensis prope finem sui operis, item constat V. VI. & VII. Synodum pariter adduxisse testimonia Græcorum & Latinorum, quod etiam facit Basilus libro de Spiritu sancto, cap. 29. & Augustinus lib. 1. & 2. in Iulianum, vterque enim profert testimonia Græcorum proter & Latinorum.

Quisunt igitur isti Græci nouelli, qui S. Patres Latinos etiam si antiquissimos, & probatissimos nihil faciunt, ob ne vident hac ratione se schismatis accusare antiquissimam Ecclesiam? vel potius docere, nunquam Græcos cum Latinis coniunctos fuisse? at certe aliud testantur acta septem generalium Conciliorum, vbi summam videmus Latinorum Græcorumque concordiam. Sed noui isti doctores non solum à doctrina, sed etiam à moribus veteris Ecclesie benignè recesserunt.

PRIMVS igitur ex Latinis est TERTULLIANVS, lib. contra Praxeam: *Spiritum sanctum, inquit, à Patre Filium deduco.* Ad hunc locum Græci responderent, non negare Spiritum sanctum procedere per Filium, sed illud. Nam, vt docet Bessarion in fine orationis dogmaticæ, Græci admittunt illud (*Per Filium*) sed exponunt tribus rationes. Primò, quòd per Filium, addatur ad denotandam relationem ad Patrem. Secundò, ad denotandam consubstantialitatem Patris & Filij. Tertiò, quia, *Per*, solet accipi pro, & citant nescio quem Poëtam.

At prima & secunda euasio frigidissimæ sunt. nam eodem modo liceret etiam dicere, Filium procedere à spiratore per Spiritum sanctum. Sic enim significarem relationem Patris spiratoris ad Spiritum sanctum, & consubstantialitatem Patris & Spiritus sancti. Deinde quid opus est, ut cum dicitur, Spiritus à Patre procedere, simul indicetur relatio Patris ad Filium, aut consubstantialitas Patris & Filij? Tercia nõ est etiam sufficiens. PRIMO, quia idem absurdum sequeretur, nimirum posse dici, Filium procedere à Patre per Spiritum. SECUNDO, quia quidquid sit de illo Poëta, in Scripturis & Patribus, inmò etiam in communi modo loquendi, PER, significat causam, & sæpe etiam pro, Ex, accipitur, ut docet Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 5. Legimus enim Genes. 4. *Possedi hominem per Deum, id est, à Deo.* Item Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et Coloss. 1. *Omnia per ipsum creata sunt.* Et Hebr. 1. *Per quem fecit & secula.* Si enim in his locis, PER, significaret, CVM, sensus esset, Filium esse factum seu creatum à Deo vnà cum ipsis creaturis. quod cerrè ne Græci quidem admittent, nisi cum Arianis desipere malint, quàm cum Ecclesia Catholica rectè sapere. Planum est igitur, Spiritum per Filium produci, secundum Scripturas nihil esse aliud, quàm à Filio, siue ex Filio procedere, & produci. sed pergamus ad ceteros.

SECUNDUS est B. CYPRIANVS, qui serm. de aduentu Spiritus sancti: *Spiritus sanctus, inquit, à Patre procedens, à Patre & Filio quaternario superfertur, opus suum conditor benignus amplectitur, &c.* Loquitur de Spiritu sancto, quando initio mundi ferebatur super aquas, & quatuor elementa formabat.

TERTIUS B. HILARIUS lib. 2. de Trinit. sic ait: *De Spiritu sancto nec tacere oportet, nec loqui necesse est. Sed sileri à nobis, eorum causa qui nesciunt, non potest. Loqui autem de eo, non necesse est, quia de Patre & Filio auctoribus confitemur est. & quidem puto, an sit, non esse tractandum.*

QUARTUS B. AMBROSIVS, quem cerrè Græci reiicere non deberent, cum in tertia Synodo generali, ut sanctum doctorem allegatum videant, libro 2. de Spiritu sancto, cap. 12. *Omnia, inquit, Patris habet Filius, quia ait; Omnia qua habet Pater, mea sunt, & qua accepit ipse per vni-*

ratem natura, ex ipso per eandem Unitatem accepit Spiritum, sicut ipse Dominus de suo Spiritu declarat, dicens; Propter hoc dixi, quia de meo accipiet.

V. B. HIERONYMVS in epist. ad Hedib. q. 9. Ipse, inquit, Spiritus sanctus cum mittitur, à Patre & Filio mittitur alio atq; alio loco, Spiritus Dei Patris & Christi Spiritus appellatur. Et in cap. 57. Isa. Spiritus à Patre egreditur, & propter naturam societatem à Filio mittitur.

VI. RUFFINVS in explicat. Symb. Spiritus sanctus, inquit, de utroq; procedens, & cuncta sanctificans.

VII. AVGVSTINVS tractat. 99. in Ioannem: Hic, inquit, aliquis forsitan quærat, utrum & à Filio procedat Spiritus sanctus. Et infra: Cur non credamus, quòd etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cum Filij quoque ipse sit Spiritus? Vide etiam lib. 15. Trinit. cap. 17. 26. 27. & lib. 3. contra Maximianum, cap. 14.

VIII. B. PROSPER lib. I. de vita contemplatiua, cap. 8. Spiritus, inquit, ex Patre Filioq; procedit.

IX. B. LEO in epistola ad Turbium 91. alias 99. cap. 1. Alius, inquit, est, qui genuit; alius, qui genitus est; aliusque de utroque processit. Atque hic est magnus ille Leo, quæ Synod. IV. DC. XXX. Episcoporum, qui ferme omnes Orientales erant, in singulis actionibus summis laudibus extulerunt: & de quo identidem repetebant, ut creditur sic & nos credimus.

X. B. FVLGENTIVS lib. de fide ad Petrum, cap. 2. Proprium, inquit, est Spiritus sancti, quòd solus de Patre Filioq; procedit.

XI. IDACIVS CLARVS lib. contra Varimad. ultra te, inquit, si tibi, inquit, dixerint; Ostende Spiritum sanctum unde habet originem. Responde, certa & manifesta origo Spiritus sancti Pater & Filius.

XII. BOETIVS libro I. de Trinitate, cap. 12. Ita creditur debemus, Filium ex Patre esse, Spiritum sanctum ex utroque, &c.

XIII. HORMISDA Papa in epistola ad Iustinum Imperatorem, capite secundo: Proprium, inquit, est Spiritus sancti, ut de Patre & Filio procederet, sub una substantia Destatis.

XIV. B. GREGORIVS Papa Symbolum edidit, quod recitatur in eius vita lib. 2. cap. 2. quod ita habet: *Credo in Spiritum sanctum, nec genitum, nec ingenitum, sed æternum de Patre & Filio procedentem.* Idem GREGORIVS lib. 2. Dialog. cap. vlt. dicit: *Spiritum à Patre Filioq; procedere.* Idem habet lib. 1. moral. cap. 8. quem Gregorium mirum est, cur Græci in suo Calendario esse patiantur, & vt verè sanctum honorent, cùm tamen eius sententiam tanquam hæresim execrentur.

DECIMVS QVINTVS & postremus ex Latinis sit venerabilis BEDA. eos enim solùm adferre statui, qui ante schisma exortum floruerunt. Sic igitur loquitur Beda lib. 1. de elementis Philosophiæ: *Spiritus, inquit, iste, à Patre & Filio procedit.* Idem quoque in collectaneis ex Augustino super epistolas Pauli, ad locum illum Galat. 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui.* adducit prolixam disputationem Augustini, qua probatur, Spiritum sanctum à Patre, Filioque procedere. Sed iam ad Græcos veniamus.

CAPVT XXV.

*Idem probatur ex Patribus Græcis.*

**E**X Græcis primus sit S. Gregorius THAVMATVRGVS, qui in confessione fidei diuinitus accepta, quæ extat apud Gregorium Nyssenum in vita huius Gregorij, ita loquitur: *Vnus Spiritus sanctus ex Deo ortum & existentiam habens, qui per Filium apparuit, imago perfecta Filij perfecti.* Quo loco non est mouenda quæstio de particula, *Per*, nec de verbo, *Apparuit*; nam iam supra ostēdimus, particulam, *Per*, significare causam, siue principium productiuum. & ex eo, quod Filius misit Spiritum sanctum ad creaturas, colligi euidenter, Spiritum sanctum à Filio procedere etiam ab æterno.

Est autem notandum illud, *Imago Filij*, nam etsi Spiritus sanctus nō sit tam propriè imago Filij, quàm est Filius imago Patris, quia non procedit ex vi similitudinis: tamen non posset dici vllō modo imago Filij; nisi ab illo procederet, & esset ei similis in essentia. imago enim dicit relationem producti